


DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
DE
IMPERFECTA PARALYSI
SIVE
PARESI EX COLICA




QVAM
NVMINE DIVINO DVCE ET AVSPICE
CONSENSV AC AVCTORITATE GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE,
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO,

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO,

MEDICINÆ, ANATOMIÆ ET CHIRVRGIÆ PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO,
ACADEMIARVM CÆSAREAR. NATVR. CVRIOSOR. ET PETROPOLITANÆ
VT ET REGIÆ BEROLINENSIS SCIENTIARVM SODALI,
FACVLTATIS MEDICÆ H. T. DECANO SPECTATISSIMO,
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
LEGITIME CONSEQVENDIS
D. V. DECEMBRIS A. S. R. MDCCLXI.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR
SAMVEL BERNHARDVS FRIDERICVS JOHN,
ANCLAMO-POMERANVS.



HALÆ MAGDEBVRGICÆ
LITERIS VESTERIANIS.



DISSERTATIO IN ACOUSIS MEDICA
DE
IMPERFECTA PARALYSI
SIVE
PARESI EX COLICA

IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA
CONSENSU AC AUCTORITATE GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
P. R. E. S. I. D. E.
VIRO ILLUSTRIS. EXCELLENTISSIMO. DOCTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO
MEDICINAE ANATOMIAE ET CHIRURGIAE PROFESSORI
PUBLICO ORDINARIO
CANDIDATI REGIAE ACADEMIAE FRIDERICIANAE
ET REGIAE UNIVERSITATIS BOHEMICAE
FACULTATIS MEDICAE ET DECANO EXPECTATISSIMO
PRO GRADU DOCTORIS
EXAMINIS RE MEDICAE HONORIS AC PRIVILEGII
AUCTORITATE
D. V. DECEMBERIS A. E. MDCCCLXII
PRAESIDIUM REGIAE ACADEMIAE FRIDERICIANAE
A. V. G. T. O. R.
SAMUEL BERNHARDUS FRIDERICUS JOHN

LEIPZIGI
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA
CONSENSU AC AUCTORITATE GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
P. R. E. S. I. D. E.
VIRO ILLUSTRIS. EXCELLENTISSIMO. DOCTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
PARESI EX COLICA.

§. I.



Animum quum induxerim de ista artuum resolutione, quae haud insolenter acerbissimos, eosdemque bene longinquos intestinorum dolores perpessus evenire animadvertitur, hoc loco exponere, *παρέσewe* ex colica nomine satis nota; non incommodum erit nec ab instituto alienum, prius quam ad eam excutiendam ingredior, nonnulla non minus scitu necessaria, quam utilia, de Paralyfi, utpote cujus Paresis est species, haec dicendis praestruere, ne pratermississe videar, a quibus maximum & potissimum nostri morbi penitus intelligendi altiusque inspicendi dependet momentum. Quibus cognitis scopoque nostro sufficienter perlustratis non magis conveniet quam expediet, quaedam quoque de ipsis colicis cruciatibus in medium adducere, quo clarius inde pernotescat, qui colici dolores paresti omnium potissime conflandae & excitandae sint oppor-

tuni. Tandem, hisce perspectis, mihi restabit subtexendum, quo pacto hæc Paralysis sua rudimenta & incunabula a passione colica accipiat inque artibus, modo superioribus, modo inferioribus, modo in utrisque ponat?

§. 2. In *παράλυσις* onomatologia eruenda non est, quod multum desudemus, quum neminem, vel mediocriter duntaxat græcis literis imbutum, facile præteriturum, censeam, vocabulum hoc a *παράλυειν* i. e. resolvi, enervari, dici seu derivari, quoniam hic affectus musculorum nervos ita incidit & frangit, ut officiis suis exsequendis plane inepti reddantur: *πάρεσις* vero vox i. e. remissio vel relaxatio, quam esse perhibui paralyseos speciem, a verbo *παρίημι* descendit, h. e. remitto; denotat enim mitiorem paralyseos gradum, in qua motus omnis cessat, superstitie solummodo qualicumque sentiendi in affectis partibus facultate. Ne igitur pluribus in nominum notatione moremur, collibitum est mihi, paralyseos ita definitam tradere; quod sit, privatio motus in musculis quibuscunque, cum sentiendi facultate alias omnino amissa seu perditâ, alias superstitie, vixque insigniter temerata. Liquet itaque hinc, quam ob causam Aesculapii filii solenne sit, paralyseos, idque iustissima ratione, dispescere in veram seu perfectam atque spuriam five imperfectam. Illa est, si motus una cum sensu perit: hæc vero, si sola movendi vis exspiravit; sensu qualicumque etiamnum restitente.

§. 3. Quemadmodum vero præterea, paralyseos variâ a Medicis obtinerit nomina, prout totum corpus vel ejus dimidium, aut singulas duntaxat occupaverit partes, id hoc loco pluribus commemorari, nihil attinet, neque nobis expedit, utpote de ea, quæ colicam excipit, hoc loco duntaxat disputaturis: illud tamen silentio non esse duco premendum, hanc nervorum resolutionem si singulis quibusdam corporis humani partibus velut brachio, manibus; cruri, pedibus, linguæ, cetera, solummodo usui veniat, simplici paralyseos nomine in medicorum scholis solenniter cieri solere, addito tantum illius partis, quam insidet, nomine, velut paralyseos linguæ aut brachii, cruris cetera.

cetera. Jam proinde in eo est, ut quoque breviter ostendam, quid rei medicæ scriptoribus paretis voce intelligatur, quippe quod nomen in non aliam ullam membrorum resolutionem, præterquam illam, quæ colico se morbo adjungere subinde solet sociam, convenit. Est vero paretis ista species paralytica, in qua artus corporis exteriores, tum superiores, tum inferiores, motu suo voluntario privantur, servato duntaxat ac superflite in iis qualicunque sensu, ex prægressis colicis torminibus vehementioribus ac diuturnis semper natales ducens suos.

§. 4. Jam vero, cum non aliæ deprehendantur ullæ in humano corpore partes, præter solos nervos, qui, ut cunctis aliis, sensu motuque instructis partibus, ita quoque artuum externorum musculis de sentiendi & movendi potentia prospiciunt; nihil sane dubii est, quin & motus & sensus jactura, quam paralyti affectæ partes faciunt, solis nervis, quibus gaudent, vitio & culpæ sit danda, ut qui vel obstructi, vel undecunque compressi, vel denique quoquomodo destructi & soluti, nihil liquidè nervei musculis talibus afferre & infundere queunt. Experimentorum enim fide compertum est, nervo quocunque ad musculum quem velis cunque aliasve motricibus fibris adornatas partes, pergente, ligato, compresso, corrupto aut disseciso, continuo eorum actiones, sive voluntarias, sive involuntarias prorsus extinguere ac deleri α). Idem quoque sensibus quibuslibet semper contigisse observatum est, nervis quippe, e cerebro ad eorum organa pertinentibus, filo arte constrictis, dissectis, compressis aliove modo destructis, illico etiam illius organi sensus, cui hæc nervus prospicit, funditus periisse cognoscitur β) argumento vix ullis aliis testatori, universos partium humani corporis & motus, & sensus, per solos nervos a cerebro aut spinali medulla ad eos delatos propagari.

A 3

§. 5.

α) *Barbavius* Institut. Medicin. §. 401. no. 4. *Hallerus* prim. lineis Physiol. §. CCCLXXXVIII. β) *Hallerus* cod. loco.

§. 5. Qua quidem ratione non temere cuiquam fore existimem obscurum, nervos omnium fere unos, quemadmodum in paralyti quacunq; sic etiam in parexi ex colica, in causa & culpa esse, cur membris resolutis & movendi & sentiendi virtus plane intereat. Est quoque vnus fere omnium medentium in eo consensus, præcipuam atque adeo proximam commemoratorum malorum causam in nervos nunquam non esse conferendam: qua autem via nervis ejusmodi labes inferri queat, & unde ea veniat; de eo tam dissidentes eorum inter se & discordantes sunt opiniones, ut nimis longus sermo mihi esset futurus, eas omnes hoc loco expromere conaturo. Alii enim sales alcalinos incusant, qui nervis se inferendo obstructions comparent; alii e contrario acidos atque, nescio quos, austeros & ponticos accusant, qui prioribus similiter in nervos se intrudant, & isthic subsistendo, luctuosæ paralyti progignendæ semina jaciant; alii invicem pituitæ viscidæ hujus calamitatis causam tribuunt, quæ itidem in nervos delata, nec in iis profluere potis, ibi consistendo, hujusmodi mala mortalibus arcessere scribitur; alii alia sibi fingunt insomnia, hæc omnia deinceps enarrari haud necessaria. Et quamvis omnes nervis, in hisce morbis gignendis, primas concedant; non tamen inter illos convenit, quo aditu ejusmodi sales & peregrini latices in intimos quosque nervorum recessus penetrent.

§. 6. Verum enim vero ne recensendis aliorum sententiis, de causa obstructionum aut compressionum nervorum, cujus tamen nihil argumenti est, hoc loco immoremur, ex usu erit ipsorum nervorum fabricam, quoad ejus propositi nostri ratio exposuerit, quanta maxima fieri potest brevitate, contemplari, quippe quæ indidem explicandis plurimum lucis affundet. Est vero nervus nihil aliud, nisi aggeries quædam innumerabilium filorum, sive verius tubulorum tenuissimorum, ex medullis oblonga cerebri & spinali emergentium, quæ suis ipsius involucris, a meningibus cerebri nascentibus, investita, universis corporis partibus, tum motoris, tum sensoris, sensum & motum præstat. Filamenta hæc haudquaquam solida esse, sed intus cavo subtilissimo

pertu-

perforata, atque ideo fluidis incredibiliter subtilibus, in cerebri cortice a sanguinis connubio separatis, pervia, quæ jugi motu in movendi & sentiendi corporis organa illabuntur & affluunt cisque sensum & motum impertiunt; heic pluribus demonstrare neque nobis vacat, gratam breviter amantibus, neque necesse est, cum jam id pluribus experimentis atque argumentis ad fatietatem, a viris multis, doctrina atque scientia artis medicæ facile principibus, liquido ostensum sit. Illud vero de his integumentis, quæ diâis tubulis circumvoluta conspiciuntur, nobis nequiquam silentio prætereundum est, ea omni varietate vasculorum abundantissime esse intexta & locupletata: quid? quod *avroſia* docet anatomica, non hæc modo nervorum involuera sola vasculorum abundantia affluere, quæ indidem sese intra ipsos eorum tubulos seu canaliculos nerveos inferunt frequentissima; sed ipsos quoque nervos, præter involucrorum vascula, insuper in quibusvis corporis partibus, ab vasorum truncis & ramis innumeros furculos sanguiferos accipere, qui intra filos nerveos disseminati in nervorum intima quæque se abdunt.

§. 7. Difficilius certe exitum, quam introitum hujus sermonis invenirem, hoc loco singulos quosque nervos, vel leviter duntaxat percursurus, ostendendo, quemadmodum in suo ad corporis partes itinere, a vasorum sanguiferorum ramis passim, de arteriolarum & venularum copia prospiciantur, quæ sensim in ramusculos minutiores diremte & foris in nervorum penetralia & abdita ingressæ & absconditæ, intra nervorum tubulos feruntur, ubi pariter pedetentim in alios longe exilliores faceſſunt ſureulos. ¹¹ Mihimet itaque in præſenti fatiſ ſit, id de illis tantummodo nervis, qui in brachia & crura diſperguntur, paucis duntaxat oſtendiſſe, quo poſtmodum inde clarius appareat, qua ratione hiſce artubus ex colica pareſis conſilari queat. Ne vero hujus aſſerti aſſirmandi cauſa ea in medium aſſeram, quæ egomet ipſe meis oculis aliquoties in corporibus humanis ab Illuſtri atque Excellentiſſi Domino Præſide, Præceptore ac Mæcenate omni pietate æternum mihi devenerando, demonſtrata vidi, placet tantum in fidem hujus rei adducere

Wins-

Winslovium, perspicuis verbis tradentem, arteriam brachialem in suo itinere, ab axilla ad cubiti flexuram, ramos plures ex se emittere, in ipsos brachii nervos immigrantes. γ) Multo autem clarius prodit, complures arteriæ ischiadicæ propagines ipsi trunco nervi ischiadici inferi, quæ in hujus nervi interiora diffeminantur. δ) Sic quoque de nervo optico constat, per ejus interiora insignem quandam arteriam, (quæ aliquando geminata esse animadvertitur), ex arteriæ carotidis internæ trunco enatam, perreptare usque ad tunicam retinam. ε) Cui alter testis locupletissimus accedit Ruyschius, pariter verbis prodens testatissimis: *nervos ipsos innumeris & permixtis gaudere arteriis, hic quoque palam est, neque earum reptatus & progressus per nervos & intra tubulos nerveos, qui tamen hic perquam conspicuus, ab auctoribus indigitatur: ζ) ab una facie serpentino reptatu per involucrium extimum reptare arterias: ab altera vero facie peculiarem reptandi easdem servari cursum, hic clare apparet. ζ) Porro in capite pueri conspiciuntur arteriole, quibus integumentum membranaceum nervi optici scætet. η) De illis ramis arteriosis, satis conspicuis, qui ex arteriis spinalibus, anteriore præsertim & posteriore exorti, serpentis in modum, radicibus nervorum spinalium illabuntur interque eorum filamenta frequentissimis ramulis distribuuntur, nihil est, quod hoc loco plura proferamus, ne dissertatio nostra longius provehatur, quam nobis propositum est.*

§. 8. Qui proinde illam minimorum vasorum copiam, quæ nervorum & involucris, & intimis quibusque, se immergunt & quoquo versus in iisdem diffundunt, æqua animi lance expenderit, is facile perspiciet, cur complures nervorum morbi etiamnum plurima obscuritate involuti sint; neque necesse sit in paralyfi singularum corporis partium explananda, statim ad eorum origines in cerebro ac spinali medulla recurrere; nisi forte illæ capitis partes, qua-

γ) Exposit. anatom. Tom. III. Trait. des Arterès §. 133. δ) loc. citat. §. 542.
 ε) Idem Tom. IV. Trait de la tete §. 298. ζ) Thesaur. animal. 1. reposit. feu affer. III. No. IX. not. 4. & 5. η) Idem Thesaur. anatom. II. Affer. II. No. XIV. not. 2.

quarum nervi cerebro vicinæ sunt, vitium ac labem fecerint; vel nervi totius pene aut dimidii corporis male affecti fuerint, ut in *παρεπληγία* & *ήμι-πληγία*, ubi omnino horum malorum fomes in cerebro hæret, vel si omnes inferiores corporis artus paralyti fuerint correpti, ut in vertebrarum lumbarium luxatione, ubi nullum dubium est, quin medullæ spinalis compressio ejusdem mali fons & caput sit. Quod si vero singulæ corporis partes, velut brachium, manus, digiti, crus, pes, cetera, hoc morbi consistentur, absolum sane foret, ejus effectricem causam in cerebro aut medulla spinali quæ- rere; quum persæpe solus sanguis, vasa ista minima, nervorum involvero abundanter intexta, aut eorum tubulis internata, inundans ac præter modum distendens, hosce tubulos comprimendo eo usque coarctet, ut nihil fluidi sui transmittere, & ad musculos vel sentiendi organa provehere valeant. Jam vero, cum hoc nervorum liquidum in illis motum, in his vero sensum effi- cere debeat; spectatissimum inde cuius partem futurum, unde & qua via hujusmodi partibus paralytis usu veniat, cerebro ex medulla spinali quamvis incolumibus atque infantibus.

§. 9. Quanquam vero in Paralyti particulari mali causam in ipsis vasculis, quæ tota nervorum vagina abunde intexta, & horum filamentis inter- jecta conspiciuntur, constitui, ut quæ a sanguinis vi & môle inundata & ul- tra, quam par est, dilatata, nervi canaliculos comprimunt sicque coangustando seu coarctando eos occludunt & impediunt, quo minus fluido nerveo intro- itus & transitus ad movendi & sentiendi instrumenta pateat: noli tamen, propte- rea credere, me, præter horum vasculorum inundationem aut obstructionem, nullas alias causas admittere. Observatorum enim testimonio constat, dictos nerveos tubulos nonnunquam quoque aliis causis, velut vulnerationibus, tumoribus, scirrhis, erosionibus, abscessibus, aliisque id genus pluribus, comprimi, occludi, aut destrui ita posse, ut nervorum liquido omnis via per eos & transitus omnino intercludatur, quo facto, non potest non hujus- modi læsionibus nervorum paralytis succedere. Quoniam vero non decrevi

heic dedita opera de Paralyfi omnibusque ejus causis agere, nisi quatenus plus lucis parefi ex colica accendit, quippe quam hifce plagulis de industria expediendam suscepi; nihil quoque est, quod cuncta, quæ de paralyfi in medium proferri possent, alioqui perdigna, quæ illustriore explicatione Lectorum oculis ex mentibus subjiciantur, hoc loco persequamur; quia alias metuendum foret, ne dissertatio mea plus increfceret, quam mihi est constitutum. Quo circa ad reliqua, quæ mihi supersunt, enodanda, progrediar.

§. 10. Cognito proinde, qua via singulares corporis partes identidem paralyfi tentari queant, cerebro quamvis illæso atque innoxio, nec spinali medulla temerata ullave quadam labe affecta; opportunum esse videtur, ut quædam quoque, quoad ejus necesse fuerit, huic argumento de doloribus colicis heic subjungamus, utpote qui potissimum in noxa sunt, cur parefis artubus externis multoties superveniat, colico dolore defervescente. Colicæ nomen tam inconstante significatione auctoribus accipitur, ut modo cruciatus, crassa solum intestina torquentes, ea duntaxat velint intellectos; modo autem eo comprehendunt, qui tenuia vel utraque simul affligunt. Nostra vero, cum parum referat, quomodocunque id sumant, non est, quod huic discrimini, colicis doloribus cum iliæis intercedenti, immoremur: quod utrique parefin acciere subinde solent. Est vero dolor colicus mihi spasmus, modo gravior & vehementior, modo remissior intestinorum. Ex industria dixi, spasmus esse intestinorum, non enim crassa solum exeruciat, sed etiam tenuia; quo nomine Frid. Hoffmannus differte tradit: *nos omnem intestinorum tractum pro subjecto & sede dolorum agnoscimus.* §) Et quis est, quin sciat, parefin per sæpe artubus externis relinqui a Colicæ, imprimis saturnina, si mortales copiosa saturni effluvia hausta deglutiverint, ubi omnino statuum est, ea, in ventriculum cum saliva delata, statim partes sibi primum & proxime obvias adoriri, inque istas suam sævitiam expromere, cujusmodi sunt stomachus cum adnexis sibi intestinis tenuibus, quibus acerbissimas inferunt torsiones.

§. 11.

§) Medicin. ration. systemat. Tom. IV. part. II. Sect. II. C. V. §. V.

§. 11. Medicis solenne est, colicam, tum ab illuvie in intestinorum compluvio hærente & intus foras per alvum excernenda; tum a dolorum acerbitate, quos ægri perferunt, in flatulentam, pituitosam & biliosam; a dolorum vero atrocitate, in spasmodicam & convulsivam, distinguere. Ex qua colicæ distinctione illud duntaxat in nostram rem conferre expediet, non statim quamcumque colicam paresti progignendæ ansam præbere, sed omnium præcipue eam, convulsiva quæ dicitur, nec non istam, quæ alias colica fastidiosa appellatur, metalli fusoribus, plumbi mineris tractandis operam navantibus, familiarissima; ut & illam, quam pictonum vocant colicam, pictonibus & Britonibus, Galliæ populis, veluti privam & familiarem 1). Præterea quoque isti colici dolores huic malo faces sæpenumero subdere feruntur, qui diu multumque ægro intestina excruciarunt. Quo autem modo intestinorum dolores atrociores, præsertim si diu perseveraverint, corporis artubus parestin incutere valeant? illud infra docebimus.

§. 12. De intestinorum divisione, anatomes peritis solenni, in tenuia & crassa, & qua ratione utraq; denuo discernantur, de eorundem cum mesenterio nexu, structura & cujusvis longitudine, cetera, hic multa tradi, nihil attinet, ne simus longiores, quam propolita breviter permittit. Quo nomine de sanguineis tantummodo rivis, qui intestinorum tunicas interluunt & irrigant, ut & de nervis eorum nonnulla, scitu æque digna ac necessaria, heic expedire lubet. Arteriæ, quæ suos ramos in tunicas intestinorum diffundunt frequentissimos, cœliaca sunt & mesentericæ, superior atque inferior. Arteriæ cœliacæ ramus dexter, ex se promit gastricam dextram, quæ insignem propaginem in duodenum & jejuni initium profert, arteriæ duodenæ nomine cognitam, cujus ultimi rami cum mesenterica superiore coeunt 2). Haud insolenter quoque rami ex gastro-epiploica sinistra efferuntur ad colon transversum 3).

B 2

effert

1) *Hollerius* libr. de morb. intern. L. 1. C. 41. Schol. p. 190. 2) *Winslov.* Trait. des arter. §. 186. *Haller.* comment. in *Berhavii* prælect. not. v. ad §. LXXXXII. 3) *Haller.* loc. citat.

effert ramos, est mesenterica superior μ): tertia tandem inferior audit mesenterica, ejus rami itidem satis frequenter concedunt in mesocolon ν). Harum arteriarum rami ad intestinorum caulem aspirantes, in innumerabiles alios sensim sensimque minutiores, tandemque minutissimos se diffundunt furculos, in eorum tunicas tam multiplici sobole se dispergentes, ut, cera rubra referti, auctore Ruyshio, intestinorum tunica summo rubore esse perfusa videantur ξ). Hi ultimi arteriarum furculi, alius alio impliciti & mutuis osculis coeunt, in rete quasi vasculosum confunduntur, quod, cum tunica nervea superinductum adhareat, haud obscure cernes, cur Willifius hoc recte, ex vasis concinnatum, peculiarem tunicam declarare dubitaverit nullus. Quum igitur intestinis tam imensa, tam admiranda sit vasorum abundantia, expeditissimum cuicumque erit, indidem colligere, quantum sanguinis vim ac molem, florente sanitate, in se reconditam habeant. De venis, quae universa venae portarum soboles sunt, & multitudine arteriis multo superiores, consulto sum taciturus.

§. 13. Ordinis fert ratio, ut, etiamnum pauca de nervis, qui ad animalem sentinam procurunt, hoc loco addam. Obtinet eos a plexu arteriae coeliacae, qui oritur a gangliis semilunariibus, prope renes succenturiatos utrinque collocatis, quae complures utrobique effundunt ramos, ab oppositis plagis concurrentes, inter seque mutuo implexos. distum nunc plexum confingunt; ex quo deinde alii rami, deorsum pergentes, in sic vocatum plexum mesentericum confluunt superiorem; qui rursus alias de se spargit propagines, itidem deorsum delatas inque unum plexum confusas, cui nomen plexus mesenterii inferioris haeret. Plexui praeterea caelico intextuntur, rami a pari octavo, qui quousque excurrant, nullius anatomici est definire. Ex variis itaque hisce nervorum plexibus rami conspectiores, itaque satis fre-

μ) Winslov. ibid. §. 196. & seqq. ν) Idem eod. loco §. 208. & seqq. ξ) Thesaur. anat. IV. affer. IV. No. 74. Ibidem anat. VIII. affer. IV. No. LX. Ibid. anat. IX. affer. III. No. LXXII. lit. 4. Idem anat. maxim. affer. IV. No. LXXXV. & Thesaur. X. affer. II. No. LII.

quenter, per mesenterium ad intestina feruntur, ubi, eorum arteriis similiter, in pedetentim exiliores abeunt ramusculos, arteriis semper comites assidentes, ultimoque retis in formam implicitos, quod itidem, nervæe tunicæ obtextum incumbit. Quæ qui curatius considerat, nullo negotio conspiciet, unde tam acerrimus intestinis veniat sensus, ut impendio acrioribus, rodentibus, acidioribus, austeris, flatulentis aliisque hujus farinæ lacescita & vellicata, confestim, doloribus subinde disercuari soleant acerbissimis. Qui tandem motus ille, quo intestinorum tractus particulatim, idque alternis, secundum naturam, cietur, colica nascente, semper in majus augecat, & quo pacto idem, extra modum auctus, per sæpe intestinorum segmenta, supra & infra, contrahat & coarctet, sicque aërem intus conclusum, intercipiat & hac ratione flatus gignat, cum hæc longiora sint, quam ut paucis plagulis pro eo, ut convenit, comprehendi possint, præterea quoque jam Wepferus differt: de apoplex: alique viri doctissimi ea latius sint profecuti; haud facile quenquam vitio mihi spero versurum, si, his missis, ad cetera excutienda nunc aggrediar.

§. 14. Id proinde negotii jam mihi sentio dari, ut ostendam, qua via colici dolores in artuum resolutionem subinde transeant. Id quod quo clarius intelligatur, non abs re erit brevem hujus mali historiam præmittere, Adoritur hic morbus, nulla sexus, nec facile ætatis, ratione habita, ægotum non statim a primo colicæ insultu, sed demum post sæpe iteratam & diuturnam invasionem; hinc quoque Thomas Eraustus, neminem se vidisse, inquit, in paresin artuum incidisse, nisi qui longo tempore hoc malo vexatus fuisset. c) Id quod etiam aliis animadversum. Persentiscunt ægri dolores fatis truculentos & contumacissimos in intestinis. Communiter colica sola est, non facile ullis aliis morbis stipata: aliquando autem & alia mala se in ejus societatem offerunt, velut febris tertiana, vel Gregor: Horstio auctore, convulsionones, icterus niger, cetera. Ubi igitur æger jamdudum ventris torminibus est

B 3

c) Disputat. IV. contra Paracelsum,

conflictatus, tum ei repente artuum supervenit resolutio, superstita tamen sensu quodam, quæ ut plurimum superiores primum occupat brachiorum partes, inde sensim ad lacertos & manus descendendo, deinde etiam deorsum ad crura pergendo, nisi forte levior est, ubi tum in superioribus artubus consistit. Alvus est pertinaciter clausa, umbilicus interiora versus retrahitur. Purgantibus per os assumtis maxime exasperatur malum. Quod si ejusmodi colica perverse tractatur, quod maxime fit, acrioribus si irretitur aut purgantibus, plus minusve desævire videtur, successive unius alteriusve aut plurium membrorum stupor, hinc subita motus impotentia, tandem perfecta paralysis, supervenit. Ecce jam tibi hic paresteos *συναρροφικα*, brevem quidem; scopo tamen nostro sufficientem, quam uberius fusiusque enarratam, si desideres, observatorum monumenta ut adeas, suadeo.

§. 15. Scriptorum fere omnium, quotquot hoc de morbo consului, consentiens est sententia, motum voluntarium partibus nullo non tempore aboleri, sensu eisdem duntaxat relicto & perseverante: quid? quod idem aliquibus observatoribus proditur in majus augeri & ad usque dolorum perceptionem increfcere. Schelhammerus π) enim testis est, ejusmodi ægrotis subinde in affecta parte summos percipi cruciatus, eosque lancinantes & rodentes, ita ut præ dolorum acerbitate sæpius noctem ducerent insomnem, cui nec Etmullerus ρ) obulisse videtur, haud obscure tradens, in principio mali convulsivi quid subesse, unde colica talis in paralyfin, subinde in convulsionem, identidem vero in arthriticos dolores transfret. Verum enim vero, si verum fateri fas est, tam egregii viri, parestin nostram cum paralyfi sic dicta scorbutica commiscuisse mihi videntur: quia constat, scorbuticos non per sæpe tantum acerbis intestinorum rofionibus vehementer torqueri, sed simul etiam vagis arthriticis cruciatibus, quibus se paralytici quid immisceat, excruciar, vid. Drawitzius de scorbuto. Præterea Etmulleri quoque est sententia, colicam istam, *παρῆστος* fœcundam genetricem, quam solenniter

bilio-

π) Differtat. de Paralyfi sive Paresti ex Colicâ, ρ) Oper. med. Pars II. Cap. III. Artic. III. de Paralyfi pag. 920.

biliosam esse ferunt, si ad verum exigeretur, ratione modi, revera esse colicam convulsivam; ratione vero causæ materialis, scorbuticam. Quæ qui iudicio perpenderit acriori, is facile, vel me silente, intelliget, laudatis ante Viris, parestin ex colica ac paralyfin scorbuticam, promiscuas fuisse habitas, cum tamen ipsa loquente experientia, parestis sine scorbuto comite esse atque ex aliis colicæ speciebus, velut ex sola meraque quadam convulsiva, saturnina, cetera, exmanare queat.

§. 16. Quod vero maximum rei medicæ scriptoribus in hoc morbo expediendo exhibet negotium, est primo ejus causa materialis, unde enascitur; deinde modus ille, quo nervos ista movendi virtute exspoliet omninoque exuat? Tædet profecto ac piget, varias istas ac dissonas, ne ludicras dicam & perridiculas, in quas auctores abeunt sententias, heic deinceps referre omnes. Antiquiores medici effectricem hujus afflictionis causam putarunt, pituitam frigidam & viscidam, nervis tenaciter impactam: σ) recentiorum quidam, idem quidem sentientes, sed sola pituita non contenti, aliquid bilis ei admistum esse, crediderunt. τ) Coiterus somniavit, vapores ex ventriculo in caput delatos, ibi concrefcere in humiditatem, quæ per fistulam sacram ad nervorum origines defluat υ). Haud multum abfimilis sententiæ Willifius videtur fuisse, itidem pituitam, sed acrem & tenuem, contendens, quæ dein hebetior facta & narcotica, per spinalem medullam depluere & nervos subire, ipsi scribitur. φ) Alii fomitem parestis lympham acidam seu materiam, quampiam vitiofe acidam declarant. χ) Schelhammerus materiam parestis fingit esse tartarum, ex acris salinis & terrestribus concretum. ψ) Nonnulli ex recentissimis serum quoddam, nescio quod acre, causticum in subsidium vocant, quod in medullam cerebri oblongatam aut spinalem decumbens, & nervorum origines premens, parestin excludat. ω) Ex quibus pro-

inde

- σ) *Fernel*. *Pathol.* lib. V. C. III. *Hollerius* de morb. intern. lib. I. C. X. τ) *Casp. Hoffmann.* *consil. medic.* consil. 173. υ) *Observat. anatom. chirurgic.* φ) *Pathol.* part. 2. de morb. anim. corp. cap. X. p. 234. χ) *Ermaller* l. c. & reliqui ex Schola Bontekeniana. ψ) *Dissert. jam citat.* Cap. III. Sect. XII. ω) *Car. Piffo* in Sect. de serosa proluv. Sect. IV. totius oper. Cap. 2.

inde tam inter se disidentibus, de causa parescos materiali, medentium opinionibus jam liquido appariturum, duco, quantopere auctores in causa parescos materiali designanda varient: de qua, qui sit sensus meus, mox infra ostendam. Ego auctorum diversas inter se opiniones idcirco huc in medium censei adducendas, ne quis forte cogitet, tot tantisque me ingenii aliquid imputasse, cujus non in mentum eis unquam venisset.

§. 17. Quemadmodum vero medentes in causa parescos determinanda, vehementer elaborarunt: ita etiam in ratione ejus exponenda permultum semper desudarunt, tametsi rem non videantur acu tetigisse. Omnes fere ad unum in nervorum resolutione explananda nunquam non eorum incubula, quæ cerebrum & medulla spinæ sunt, respiciunt, ubi hujus mali focus & fons semper delitescere creditur: pituitam enim viscidam, vel acidum, aut tartareum serumve, quod materialem parescos causam statuunt esse, indidem se in ipsos nervos efferre & sic eos oppilare, vel certe horum initis incumbere, eademque premendo & aggravando obferare, & hoc pacto liquido nerveo aditum in eos intercludere: hinc illæ lacrymæ. At vero tametsi ipse suscipio, & jam quoque supra differte perhibui, in absolute dicta paralyti, velut paraplegia & hemiplegia, cetera, utique compluries ad nervorum seminaria, unde, radicibus suis enascuntur, medico esse revertendum, quippe in quibus tunc plerumque dicti morbi fomes occultatus, gliscit. Longe tamen secus id se habet in paralyti particulari, (si ab illis nervis, qui e cerebro ad capitis partes ipsi propinquas contendunt, discesseris,) ejusmodi sunt paralytes pedis, crurum, femoris, brachii, cubiti, manus, cetera, ubi semina mali in ipsis nervis, qui hasce ad partes se efferunt, facta & recondita hærent, cerebro & medulla spinali integris omnino & intemeratis: quemadmodum id anicunq; ex iis, quæ supra de vasorum ramulis, per nervorum involuera & interiora quæque, multiplici sobole, dispersis, relata leguntur, cognoscere in proclivi erit.

§. 18.

§. 18. Quod si enim nonnulli, exempli causa, nervorum rami, qui a nervis brachii mediano, & radiali profecti ad manus pollicem contendunt, a vasculis, sanguine copiosiori, quam pro horum capacitate, inundatis, sicque ultra naturalem modum distentis, comprimuntur, nervorum liquido, horum nervorum ramos alias libere perlabenti, obex ponetur, quo minus ad pollicem adspirare possit. Idcirco in hunc digitum, sublato liquidi nervei in eum illapsu, paralysis incumbat, necesse est, ceteris ejusdem manus digitis inoffensis, manentibus. Videas itaque quomodo singulae corporis partes, ut paralyti, ita quoque paresi, (quae illius species est & imperfecta celebratur paralysis,) prehendi queant. neque cerebro neque spinæ medullæ quicquam dampni memorati pollicis rami emergunt, quicquam detrimenti capientibus: quia nulli alii nervorum furculi compressionem a vasculorum inundatione sustinent, quam qui in pollicem dispergantur, ipsis nerveis truncis, ex quibus hi furculi in pollicem diffunduntur, salvis atque inoffensis persistentibus. Unde nec mirum, toto brachio cum manu & digitis, excepto pollice, motum sensumque etiamnum superesse salvum atque incolumem. Inde quoque perspicias, quot quantisque erroribus subinde implicentur, qui in hujusmodi paralyti particulari, mali sedem in medulla spinali quaerunt, ei extrinsecus medicamenta antiparalytica admovendo, ubi tamen neque morbi scaturigo; neque ullum vitium hæret. Sed ne de cœpto viæ cursu desileam, & in alia ex obliquo obeam, ad ea prosequenda me nunc conferam, quorum nostra maxime interest, ostensurus nimirum, qua via paresis artibus externis ex prævia colica subinde oboriatur.

§. 19. Primum curatius consideraturo totum illum intestinorum tractum ac itineris longitudinem, quod a ventriculi pyloro ad anum usque conficit; minimum enim intestina eo homine, cujus sunt & ad quem pertinent, septies sunt nec insolenter octies longiora *); deinde immensam illam atque immanem vaforum plurifarii generis, qua scatent & affluunt, abundantiam,

C

præpa-

*) lib. cit. Tom. III. de bas-ventre §. 89.

præparatis Ruyschianis, ea omnium oculis apertissime conspicienda subjicientibus; postremo conspectiores illos vasorum truncos, qui e caudice aortæ sese in mesenterium & intestina eferunt, velut arterias mesentericas, superiorem & inferiorem, ut & conspicuas istas propagines, quas gastrica arteria, soboles cœliacæ, ex se diffundentes, in duodenum & colon transversum explicant; nec non innumerabiles illos venarum ramos, arteriosis frequentia & capacitate multo superiores, qui in venam portæ corrivantur omnes; hæc euncta, inquam, curatius consideraturo, haud sane obscure apparebit; intestinorum vasa, secundum naturam, ingentem sanguinis vim & molem in se receptam continere & favere. Quam si ad calculos revocare nobis esset integrum, vix quicquam dubii est, quin facite aliquot libras quantitate æquatura esset. Jam vero, si ulterius perpendamus, intestina, spasmodum vehementia mire torta & disruciata, per partes hinc illinc arctissime construigi; intra vero hujusmodi spasmodicas intestinorum constrictiones aërem elasticum, calore fotum, atque ita rarefactum expansumque intercludi & figi, qui ita in segmentis intestinorum interceptus, ea usquequaque miram in modum distendit; nullo negotio perspiciemus, non posse fieri, quin in colicis cruciatibus tum a talibus spasticis constrictionibus, tum a flatibus intus conclusis, & intestinalium segmentorum parietes distendentibus, sanguifera illa vascula, quæ toto intestinorum canali maxime confertim intexta sunt, comprimantur, plane exinaniantur & vitali suo, quod in orbem volvere solent, liquido priventur.

§. 20. Testatum hoc quoque faciunt observatorum monumenta, quæ de defunctis colica passim extant. Wepferus de puello, sævissimis ventris doloribus consiliato, refert, se ab ejus obitu, in cadavere aliquot portiones intestini præcipue ilei vidisse, superne & inferne constrictas, partesque ejus intermedias flatibus distentas, quos vix vi ulla, neque sursum neque deorsum pellere voluerit *). Idem hic observator septuagenarium quendam, colica

*) Dissertat. de Apoplex. p. 386.

colica in parestin brachiorum commutata extinctum, dissecuit, in quo plurimum feri, intra utrasque cerebri meninges stabulantis, deprehendit, vix illo vitio in intestinis obvio. Mihi quoque contigit, sectioni juvenis cujusdam, e colica convulsiva mortui, interesse, ejus in cadavere, in intestinis præsertim tenuibus, passim varias spasticas deprehendebamus constrictiones, vel etiamnum ab interitu perseverantes, ceteris intermediis partibus, flatuum copia refertis valdeque dilatatis. In quibus omnium præcipue adspectu digna erat summa velut intestinorum pelluciditas, vasa enim omnia ita evanuerant, ut vix perpauca eorum in adspectum se nostrum lucemque proferrent: sanguis quippe ex vasis hisce distentu intestinorum compressis, ab inferioribus ad superiora & imprimis ad caput repulsus spectabatur, ubi mortis causa delitescbat. Ex his ergo manifestum erit, non posse fieri, ut flatus usquam in intestinis gigni queant, nisi eorum peristalticus motus, in majus auctus seu intensior redditus, in iisdem, ubicunque est, spasticas efficiat contractiones, quæ aëris, (qui nunquam non hic loci præsto est,) alias in sanitate per intestina satis meabilis, excretioni obicem ponunt, eoque pacto flatus semper procreant; id quod etiam Wepfero in canibus vivis, ab ipso apertis, observatum est *). Neque contra indidem obscurum est, toties intestinorum sentinæ flatus esse perventuros, quoties eorum *περίσπασις* undelibet & quomodocunque lacessita increscit.

§. 21. His proinde de insigni ista vitalium liquidorum copia, quæ per intestinorum vasa naturaliter feruntur; & de modo flatuum generandorum, probe stabilitis & fixis, vel illud quoque jam nobis executendum, qua ratione ejusmodi colici dolores sæviores, ad convulsionem gradum invalescentes, artubus externis *πάρεσιν* infligere valeant? Quod si enim quicquam, vel præclarissimis in medendi scientia ingeniis, unquam plurimum negotii in morborum phænomenis enodandis facefferit: certe est hoc de paresti, colicæ defævienti & consenscenti interdum oborta, omnes quippe hujus calamitatis

C 2

*) Tractat. de Cicuta aquat. p. 199.

causam cerebro & medullæ spinali attribuant, ubi ejus fontem semper scaterere imaginantur; unde pituita aut serum aliudpe hostile acidum; cetera, in ipsos nerveos tubulos diffusum, vel certe circa eorum radices uberiore copia congestum & cumulatam obhærere & creditur & fingitur, perinde ac si sanguinis rivulis, canaliculos nerveos uberius interluentibus, non par esse vis & potentia eorum comprimendorum possit, ac sero aliisve commentitiis & fictis acidis, tartareis &, nescio quibus, similibus census fordibus peregrinis. Nec facile credo auctores unquam eo somniorum processisse, germanam nervorum structuram si habuissent perspectam curatius atque exploratam: verum, cum pauci sint adeo benigni neurologiæ existimatores, nec sane mirum est, plerosque nervorum morbos, eulammum castis occultatos & circumfusos tenebris, latere. Quo idcirco clarius appareat; quemadmodum malum nostrum ab intestinis, colicis doloribus afflictis, in ipsos artuum nervos propagari identidem possit & inferri, ex usu nobis erit, legem illam hydraulicam, ejus cauta & prudens ad corporis humani vasa applicatio, non minus utilissima, quam maxime necessaria est, rei nunc inde entucleandæ præfigere, qua in confesso est: si in canalibus inter se conjunctis & communicantibus, liquidaque vehentibus unus pluresve eorum obstruantur, sicque contentis intus liquidis transitus per eos præcludatur, hæc liquida, manente causa pellente & in motum profuam agitante, eo ipso in alios adhuc patentes & pervios ruerent canales. Eadem quoque hæc vitalibus laticibus in animali corpore pariter evenienda esse, nemo in dubium vocare audebit, qui humani corporis vasculosam compaginem intellexerit.

§. 22. Age nunc videamus, quomodo paretis e colica emergat. Quum intestinorum tractus tam atrocibus spasticis striculis torqueatur; quæ flatu interceptiunt intermedia ipsis segmenta distendentes, nihil dubitationis est, quin vascula sanguifera, quibus intestinorum tunice redundant, nimium inde comprimantur & ocludantur. Sanguini ergo a corde per tot tamque insignes arterias, cujusmodi utræque mesentericæ sunt, assidue ad intestina

adacto,

adaſto, nullus in compreſſa & coarctata talia vaſcula patet aditus, quī ergo reliquo cruori, a tergo ſibi ſuccedenti, peſſulam velut obdit. Qui proinde inteſtinorum intrare impeditus, ſimiliter cetero ſanguini in aorta recondito, moram atque impedimentum injicit. Cordis ergo machina, ſanguinis mole obruta, cum ſibi tanta impedimenta a cruore in aorta reſtagnante inferantur, haud valet, tantum ſanguinis, quantum antea, inteſtinis intemeratis, nec dum doloribus excrutiatis, extra ſe in aortam deſcendentem evolere: hinc plus cruoris in ramos illos ſuperiores, ex arcu aortæ ſurgentes, expellit cum ad caput, tum præcipue ad artus ſuperiores. Perſpicuum ergo inde eſt, arterias brachiales nunc itidem ſanguine copioſiori, quam antea, inundatum iri, conſequenter quoque univerſas earum propagines, propterea etiam illos ſureculos, qui in nervorum involucra diſſeminantur & intra ipſos eorum tubulos, multiplice ſobole ſe diſpergunt, pariter uberiori ſanguine ſenſim ſenſimque cumulatum iri. Qui proinde nunc plus juſto & æquo ita diducti & diſtenti, nervorum tubulos, per quos liquido nerveo, in ſanitate aditus ſatis expeditus eſt ad motus & ſenſus organa, comprimant & ſic dicto fluido obicem ponent, quo minus ad dicta instrumenta adſpirare valeat. Cauſa vero motus ſublata ipſe quoque partium motus utpote effectus ejus ceſſet, neceſſe eſt.

§. 23. Videas itaque quā via pareſis brachiorum e colica enaſci poſſit. Eodem quoque modo accidit eadem calamitas artuum inferiorum, quippe qui nervorum reſolutione ſoli identidem, ſalvis & incolumibus brachiis, a prævia colica correpti deprehenduntur; quemadmodum ſuperiores artus haud raro duntaxat hoc mali tentantur, cruribus integris atque illæſis. Quum jam pareſis pedum ex iis, quæ de brachiorum pareſi explicata leguntur, ſatis ſuperque intelligi queat, fruſtra & tempus & operam hic contriturus viderer, ſi & in ea explanando multus eſſem futurus. Quod ſi vero cauſam ex me requiſiveris, cur vaſcula, nervorum involucris, intexta eorundemque tubulis interſita, demum ſanguine copioſiori infarciantur, colica jam in mul-

tos dies, imo hebdomades extracta, non vero statim ineunte hoc morbo? habeto, vitales humores secundum naturam in vasis minoribus temper tardiores, quam in majoribus, & in vasis minimis, cujusmodi sunt nervorum, lentissime ferri inque orbicum motum volvi; deinde eadem hæc esse duntaxat vasa lateralia, quæ velut extra legem circulationis, ut Boerhavi verbis utar collocata sunt; denique ea, maximam partem, ferifera esse & lymphatica, quæ intra dense compactos nervorum tubulos se in furculos longe teneriores explicant; hinc utique quædam temporis diurnitas exigitur, donec dilatari queant, ut rubicundis globulis pateant.

§. 24. Tandem quoque illud mihi eruendum restare sentio, qui fiat, ut in paresi plerumque sensus supersit, motu musculorum duntaxat pereunte? Verum nec hujus phænomeni ratio explicatu ardua est, dummodo quis perpendit, brachii musculos non uno, sed compluribus persæpe nervorum ramis, a diversis truncis nervorum profectis, ditari; neque statim cunctos tales ramos uberiori sanguine inundari, sed ut plurimum duntaxat eorum non nullos, ceteris ad unum eundemque musculum abeuntibus inoffensis relictis, per quos utique aliquid liquidi nervi in eum illabi & affluere poterit, quantumvis non tantum, quantum musculis illis movendis satis est. Verum enim vero, si hoc argumentum pro eo, ac meretur, esse confectaturus, singuli quique utrorumque artuum musculi mihi forent persequendi cum ipsis nervis, qui in eos distribuuntur. Jam vero cum hac ratione dissertatio mea longius multo, quam velim, excurreret, præterea quoque nervorum doctrina ad minima anatomica pertineat, quæ paucis medentium in deliciis est, hisce hoc loco exsequendis superfedebam. Sed quosdam mihi objicere video, quare culpam & causam hujus mali in solos nervos contulerim, prætermisissis vasis arteriosis, cum tamen experimentis exploratissimum esset, nec arterias omnino secludendas esse. Quodsi enim arteria, quæ se in musculum quandam abilit constringeretur filo aut discinderetur, videremus illum musculum statim suo motu æque privari, atque a nervo ligato destructove. At vero Illustri

Iustris atque excellentissimus de Haller, veritati hujus experimenti fidem omnino suam derogavit, verbis ostendens testatissimis; musculum, dissectæ arteria, quæ suos ramos in eum expromit, haudquaquam resolvi, neque motu suo orbari, eadem ligata, nisi demum longo post tempore, nimirum destructis a gangræna musculis. Vid libr. citat. Quid? quod nihil quicquam mutationis musculo contingere, arteria quantumvis irritata. Quocirca his haud obscure cognosci potest, quam ob causam de arteriis & venis, nisi quoad ejus mentio fieri necesse fuerit, plane silui. Sed temporis ratio exigit nobisque imperat, ut in præsentī nostra etiam muscæ silcant.

T A N T V M.



00 A 6283


ULB Halle 3
002 828 154




SB


Retro ✓







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
DE
IMPERFECTA PARALYSI
SIVE
PARESI EX COLICA



QVAM
NUMINE DIVINO DVCE ET AVSPICE
CONSENSV AC AVCTORITATE GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE,
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO,

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO,

MEDICINÆ, ANATOMIÆ ET CHIRVURGIÆ PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO,
ACADEMIARVM CÆSAREAR. NATVR. CVRIOSOR. ET PETROPOLITANÆ
VT ET REGIÆ BEROLINENSIS SCIENTIARVM SODALI,
FACVLTATIS MEDICÆ H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS

LEGITIME CONSEQVENDIS
D. V. DECEMBRIS A. S. R. MDCCLXI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR
SAMVEL BERNHARDVS FRIDERICVS JOHN,

ANCLAMO-POMERANVS.



HALÆ MAGDEBVRGICÆ
LITERIS VESTERIANIS.